

P A R M A & P L A C E N T I A .

acceptit. Aliis tamen magis placet à *Placendo* vocatum, ob loci amœnitatem, pulcritudinem, cōpiamque rerum omnium admirabilem. Veterem nobilitatem, inquit Ambrosius in Epist. ipso adhuc nomine servat. Iuxta Padum, à quo distat circiter M. P. jacet, loco peramœno; agrorum bonitate, civiumque, inter quos Landi, Scoti, Anguiscioli & Fontani, claritate superbiens. Muri novi sunt; propugnacula ampla, munitiones insignes. Inter plateas Farnesia principis est loci. Quod spectetur, dignum est monasterium novum, sumptuose nuper extructum ab Philippo Hispaniarum rege. Arcem habet munitissimam, ab Duce ejus r̄ceptam, & ab Imperatore Karolo V absolutam. Fons in urbe vetustus & limpidus, ab Augusto Cæsare nomen habens. Episcopatus gaudet titulo. Gymnasium habet omnium disciplinarum. Claros produxit viros varios: antiquioris notæ Tincam, hominem facetissimum, cujus in Bruto meminit M. Tullius, item L. Calpurnium Pisonem, C. Iulii Cæsaris socerum: recentioris autem Gregorium X. P. M. Americum, Vincentium Baraterium, Thomam Radinum, Theologos: Raphaelem Fulgosum, Iuriconsultum: Gulielmum, Medicum: Georgium Vallam & Ioannem Castrom, Græcæ Latinæque linguæ peritissimos: Antonium Cornacianum & Nicolaum Fontanum, poëtas. Quod ad gesta: antiquissimum illud, quod colonia legatur Romanorum. Hanc Livius libro 27 populo Romano, quum bellis adfugeretur Punicis, cum 18 aliis coloniis subsidia contulisse memorat; frustra ab Hannibale obsessam magis, quam oppugnatam; ac deinceps, ut idem Livius docet libro 31, ab Gallis Insubribus, Cenomanis, & Bojis, excitis Salyis Iluatibus, reliquisque Ligusticis populis, Hamilcare Pœno Duce, qui iis in locis de Adrubalis exercitu substiterat, magna ex parte direptam atque per iram fuisse incensam. Instaurata denuo nomini addicta fuit Romano, quamdiu majestas ejus, Exarchatusque Ravennatis dignitas fuit incolumis: quibus conlapsis, ad reliquarum eo tractu urbium exemplum Gothicum & Langbardicum suscepit jugum: quo rursus excusso, captoque Langbardia rege Desiderio auspiciis Karoli Magni, primum Italia Regum, deinde Cæsarum subiecta fuit imperio: post libera quodammodo facta, sub fide constituta Imperii Romani, partim suorum civium, partim exterorum dominatu; ut Palavicinorum, Landorum, Scotorum, Galeatorum, Sfortiarum, magna fortunæ varietate, suaque haud mediocri calamitate, ab Gallis demum 1499 subacta; inde anno 1512 à Pontifice Romano, iterumque ab Gallis; quibus Italia bello Sociali profligatis, Ecclesiæ Romanæ fuit restituta; licet ab Karolo V Cæsare aliquandiu possessa, & per Præsides Vicariosque administrata. Anno tandem 1545 Ducem cum Parma à Paulo III P. M. ex Farnesis accepit. Pulcherrimum fuit extra urbem Amphitheatrum, quod bello Othoniano, uti Tacitus testatur, in acerrima oppugnatione conflagravit. Urbis ager vini, olei, frumenti, omnibusque generis fructuum fertilissimus est, propter copiam aquarum: multos habens fontes, fluvios, rivulos, pascuis irrigandis facientes. Placentini casei, qui in omnem Europam exportari solitus, summa est bonitas, summaque commendatio; uti & Parmensis, atque Laudensis. Habet & ager Placentinus aquæ falsæ fontes, ex quibus sal candidissimum conficitur: item ferri fodinas, saltusque venatui ferarum aptissimos. Pandunt se porro oppida Rivalgare, Ponizza, Arvia, Riva, Rattivatum, Apepianum, Cela, Crose, Boriano, Mombruno, Ronconerum, Organastum, &c. Divus Ioannes, Tarvolum, Clastidium, Tronconara, Vogera, Ripa, Fons Curonis, Casella, Muleta, Castellum Novum, Sale.

*Res gesta.*

